

tem ac eruditionem ubique spirant, jugiter incubuit. Opera genuina S. Gregorii M. Papæ sunt ista: *Expositio Moralis in Job* in triginta quinque libros distincta. *Libri Pastoralis*, seu de Cura Pastoralis quatuor in partes distributus. *Homiliae super Prophetam Ezechielem viginti duæ*. *Homiliae quadraginta in Evangelia*. *Epistolarum libri duodecim*. *Antiphonarium*. *Sacramentarium*, quod ex venerandæ antiquitatis Codice MS. edidit *Hugo Menardus* Benedictinus Congreg. S. Mauri. *Quatuor libri Dialogorum*, quos Hæretici, & nonnulli Catholici intemperantioris Critices viri Gregorio Magno adjudicant, dictitantes, quatuor illos libros Dialogorum ineptis fabulis, & innumeris miraculis, quæ ab omni veri specie abhorrent, esse infartos. Sed istos Aristarchos merito doctissimus noster *Melchior Canus* lib. xi. de locis cap. 6. castigat his verbis: *Magnis, præclarisque virtutibus viri sanctissimi atque optimi id consequi meruerunt, ut in rebus ejusmodi, quas vel spectasse, vel ab aliis fide dignis, qui spectarint, se vidisse testati sunt, fides omnino illis habeatur. Quæ in re Erasmus Roterodamus, aliique juniores quidam sepe ac licenter errarunt*. Adde etiam, quod licet hæc miracula, quæ Sanctus Gregorius in his quatuor Dialogorum libris narrat, si ad debilis rationis humanæ trutinam expendantur, incredibilia videri possint, nihilofecius spectata omnipotentia Dei, cui omnia parent, creditu facilia erunt. Sed hac de replura legis apud Mabillonium tom. 2. *Annalium*, & sæculo i. *Benedictino*. Inter Opera dubia S. Gregorii Magni collocant periti Critici *Commentarium in libros Regum*, & *Commentarium in septem Psalmos Penitentiales*. Rejicitur autem a viris eruditissimis tanquam spurium & suppositivum *Commentarium in Cantica Cantorum*, qui sub nomine S. Gregorii Magni circumfertur, tum quia non extat in MSS. Codicibus melioris notæ; tum quia etiam *Paterio* S. Gregorii Magni discipulo, ejusque Operum studiosissimo, fuit omnino incognitus. Novam, & accuratissimam omnium S. Gregorii Operum editionem adornarunt eruditissimi Monachi Benedictini Congreg. S. Mauri, quam doctissimis Præfationibus, & Notis, atque Sanctissimi illius Pontificis Vita elegantissime descripta, illustrarunt, & S. Gregorii Magni Opera in quatuor Tomos distribuerunt. Priori Tomo continentur Exegetica in sacram Scripturam, scilicet *Moralium in Job libri triginta quinque*, *Homiliarum in Ezechielem Prophetam libri duo* & totidem *Homiliarum in Evangelia*.

Secundus Tomus continet cætera S. Gregorii indubitata & germana Opera, sive ad Historiam, sive ad Ecclesiasticam spectent Disciplinam; scilicet *librum Regulæ Pastoralis*, *quatuor Dialogorum libros*, & *Registrum Epistolarum*.

Tertius Tomus bipartitus est. Prior pars exhibet *librum Sacramentorum*, *Antiphonarium*, & cætera liturgica cum eruditissimis Notis *Hugonis Menardi* Congreg. S. Mauri Benedictini. Altera ejusdem Tomi pars complectitur *Commentarium in lib. i. Regum*, *Expositionem in Cantica Can-*

ticorum, magna ex parte auctam, aliam in septem Psalmos expositionem, & concordiam quorundam sacræ Scripturæ testimoniorum.

Quartus Tomus duas etiam in partes divisus est. Prior pars continet S. Gregorii Vitam, tum a *Paulo Warnesfridi*, tum a *Joanne Diacono* scriptam, & aliam recentem, quam ex Gregorianis præsertim scriptis adornarunt doctissimi Patres Benedictini Congreg. S. Mauri. Secunda pars ejusdem Tomi exhibet genuinum *Paterium* S. Gregorii Magni discipulum, qualis habetur in quamplurimis optimæ Notæ MSS. & *Alasti Tornacensis* Monachi Expositionem in Novum Testamentum ex Gregorianis sententiis, quæ *Paterii* nomen in superioribus Editionibus immerito præferebat.

D. Nihil hæcenus dixisti de Scriptoribus Græcis, qui sexto Ecclesiæ sæculo magnam eruditionis famam sibi in Oriente compararunt, quorum nomina, patriam, & Opera scire percipio.

M. Sæculum sextum singulari eruditione in Oriente nobilitarunt *Basilii* gente Cilix, & Presbyter Ecclesiæ Antiochenæ, qui scripsit tres libros *Historiæ Ecclesiasticæ*, quorum primus incipit ab anno ccccl. & desinit in *Simplicii* Papæ morte anno cccclxxxiii. Secundus initium inde sumens, *Historiæ* filium perduxit usque ad annum dxviii. Tertius res gestas ab Imperatore *Justino* complectitur. Alia ejusdem Basilii Opera refert *Photius* in Bibliotheca Cod. 95. & 107. *Theodorus* Ecclesiæ Constantinopolitanæ Lector collegit ex *Socrate*, *Sozomene*, & *Theodorico* Historiam tripartitam duobus libris comprehensam a vicessimo Constantini Magni Imp. anno, usque ad Imperium *Juliani* pertingentem. Huic Operi postea *Theodorus* duos alios *Historiæ Ecclesiasticæ* libros addidit, proprio Marte conscriptos, a tempore videlicet, quo *Socrates* *Historiæ* finem imposuit, ad principium usque Imperii *Justini* senioris, idest, usque ad an. dxviii. *Jobius* Monachus Orientalis scripsit librum adversus *Severum* Hæreticum, cujus nulla supersunt hodie vestigia, & libros novem de *Incarnatione Domini*, quorum fragmenta legi possunt in Bibliotheca *Photii* Cod. cxxxii. *Joannes Scythopolitanus* scripsit contra *Eutyrianos*, & *Acephalos*. *Cyillus Scythopolitanus* scripsit *Vitam S. Joannis Silentarii*, *Vitam S. Euthymii Abbatis*, & *Vitam S. Sabæ*. His Scriptoribus Græcis addi possunt *Procopius Gazæus*, qui in plurimos *Scripturæ sacræ* libros edidit *Commentarios*, ut videre est in Bibliotheca *Photii* Cod. 160. 206. & 207. *Aretas* Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, qui scripsit *explanationem in Apocalypsim*; *Zacharias Mytilenus* Episcopus, qui calamum strinxit in *Manichæos*; *Ephremius*, seu *Euphremius* Episcopus Antiochenus, multos composuit *Tractatus* pro defensione *Concilii Chalcedonenis*; *Joannes* natione Cappadox, Episcopus Constantinopolitanus, ob singularem vitæ abstinentiam dictus *Jejunator* scripsit librum de *Baptismo*, quem S. *Leandro* Hispani Episcopo dicavit, ut testatur Sanctus *Isidorus* Hispanensis in lib. de *Script. Ecclesiasticis*, alioquinque de *Pœnitentiâ* composuit libros, de quibus videtur.

dendus est doctissimus *Joannes Morinus* Congreg. Oratorii Presbyter in fine libri, quem edidit de *Pœnitentiâ*. Inter libros, quos *Joannes* dictus *Jejunator* de *Pœnitentiâ* scripsit, præcipuus est *liber Pœnitentialis*, ex quo Græci multa in suis scriptis testimonia excerpterunt. *Eulogius* Patriarcha Alexandrinus libros quinque scripsit contra *Novatianos* apud *Photium* in Bibliotheca Cod. cxxxv. item librum contra *Theodosium*, & *Severum*, de quo idem *Photius* Cod. cxxxvi. item *Invektivam* *Orationem contra unitatem subito exortam inter Theodosianos*, & *Gajanitas Acephalos*, de qua idem *Photius* Cod. cxxxvii. Præterea, *Orationes* XI. quarum argumenta perstringit *Photius* Cod. cxxxix. ejusdem *Eulogii* Patriarchæ Alexandrini *Sermonem* in diem Festum *Palmarum* publicavit doctissimus *Combesius* tom. i. *Auctarii* Bibliothecæ Græco-latine, sicut jam observavimus in superiori Colloquio. Inter nobiles Scriptorum Græcos jure censetur *Evagrius Scholasticus*, qui Epiphania Syriæ urbe oriundus, post *Eusebium*, *Socratem*, *Sozomenum* & *Theodoretum*, libros sex *Historiæ Ecclesiasticæ* concinnavit, ab anno scilicet cccxxxii. quo *Nestoriana* impietas in *Concilio Ephesino* confixa est, usque ad duodecimum annum *Mauricii* Imperatoris, idest usque ad annum dxcliii. Omnia, quæ ad suum argumentum digne tractandum conducere poterant, summa diligentia ex optimis Scriptoribus collegit, puta ex *Prisco*, *Joanne*, *Zacharia*, *Eustachio* & *Procopio* Rhetoribus, *Evagrii* *Historiam Ecclesiasticam* doctissimus *Valesius* e Græco in Latinum sermonem vertit, & egregiis Notis illustravit. Versio quippe *Christophoroni*, qua usus est *Baronius*, variis in locis, non satis viris eruditissimis accurata videtur. Scripsit etiam idem *Evagrius* volumen *Epistolarum*, & *Orationum* & *Relationum*, imperante *Tiberio Constantino*, a quo *Questoris* dignitate donatus est; nec multo post, cum *Orationem* composisset de laudibus *Mauricii* Augusti ob *Natalem Theodosii* nobilissimi pueri, codicillos præfatur ab eodem *Mauricio* accepti, ut ipsemet testatur in *Epilogo* *Historiæ* suæ.

D. Percensuistine omnes Scriptorum Græcorum, qui sexto sæculo floruerunt?

M. Supersunt adhuc nonnulli, quos hic breviter subjiciam. *Dorotheus* Archimandrita, & *Sanctus Joannes Climacus* de moribus præclare scripserunt. *Dorothei* virtutes gravissimis testimoniis *Theodori* Studitæ, & *Tarasii* Patriarchæ Constantinopolitani celebratæ sunt, ut liquet ex *Prologo* ad ipsius *Dorothei* *Asceticas Institutiones*, quæ extant in Biblioth. Patrum. *Joannes* vero dictus est *Climacus* ob librum quem edidit, *Scala Cæli* inscriptum, & in triginta Capita distinctum, quibus tamquam totidem gradibus, seu scalis, ad perfectionis religiosæ culmen ascenditur. Vitz S. *Joannis* *Climaci* aliquod Compendium a *Daniele* Monacho Raythuno elucubraturum libros ipsius, *Scala Cæli* inscripto, præfixum est, quod etiam recitat *Bollandus* ad diem xxx. mensis Martii, qua colitur Sanctus *Joannes Climacus*. Scri-

psit etiam idem Sanctus *librum ad Pastorem*. *Leontius Bizantinus* Monachus in *Laura* Sancti *Sabæ* prope Hierosolymam scripsit librum de *Sectis Hæreticorum*, ac de *Synodo Chalcedonensi* in X. *Actiones* distinctum: *Tres libros adversus Eutyrianos & Nestorianos*: *Libros duos contra fraudes Apollinaristarum*: *Item Solutiones Argumentorum Severi*, & alia Opera, quæ sive edita, sive inedita, versione latina donata & accuratissime repurgata in lucem propediem emissurus est doctissimus noster *Michael le Quien*. Denique, in sexto Ecclesiæ sæculo duo *Anastasi* celebres fuerunt in Oriente, quos, sicut jam in superiori Colloquio observavimus, nonnulli inscite confundunt. Alius quippe fuit *Anastasius senior* Ecclesiæ Antiochenæ Patriarcha, qui composuit tres *Orationes*, quas noster *Combesius* inferuit tom. 2. *Bibliothecæ Græco-latine Sanctorum Patrum*. Prima *Oratio* est de *Annuntiatione Beatiſsimæ Virginis*, sicuti & secunda; Tertia vero est de *Transfiguratione Domini nostri Jesu Christi*. Extant etiam sub nomine *Anastasi* Patriarchæ Antiocheni quinque *Orationes Dogmaticæ* manuscriptæ in Bibliotheca Cæsarea, ut refert *Lambecius* tom. 7. *Commentariorum* de eadem *Bibliotheca* pag. 167. Alter *Anastasius* fuit *Monachus*, qui vixit in *Monte Sinai*, & ideo *Sinaita* appellatus. Hic *Auctor* est *librorum* XI. *Anagogicarum contemplationum in Hexameron*, quos tamen *Baronius* putavit esse factus *Anastasi* Patriarchæ Antiocheni. Citantur enim hi libri in *Annalibus Michaelis Glycæ* viginti circiter vicibus, ibique nunquam eorum *Auctor* Episcopus, aut Patriarcha Antiochenus appellatur, sed sapius *Anastasius Sinaita*, ex quo colligitur, *Anastasi* Monachum *Sinaitam* legitimum esse horumce *librorum* parentem, non vero *Anastasi* Patriarcham Antiochenum. Liber, cui titulus: *Responsio Anastasi Episcopi ad Orthodoxorum aliquorum Christianorum interrogationes de diversis Capitibus Ecclesiasticis*, quem *Baronius* tribuit *Anastasio Sinaitæ*, neque ab *Anastasio* Patriarcha Antiocheno editus est; tum quia plures errores Græcorum inserti sunt in his *Questionibus*, & *Responsionibus*; tum quia etiam in illis citantur *Olympiodorus*, qui decimo sæculo floruit, & alii juniores Scriptorum. Liber inscriptus *Dux vie adversus Acephalos* editus est ab *Anastasio* Monacho *Sinaita*, non vero ab *Anastasio* Patriarcha Antiocheno, ut visum est *Baronio*. Titulus enim in MS. Codice sic habet: *Exordium libri Sancti Anastasi Monachi Sinaitæ*. Similiter, *Oratio de sacra Synaxi*, & *Expositio in Psalmum sextum*, quæ a *Baronio* adscribuntur *Anastasio* Episcopo Antiocheno, sunt *Anastasi* Monachi *Sinaitæ*, & *Notis* a nostro *Combesio* illustrantur tom. 2. *Bibliothecæ Græco-latine Sanctorum Patrum*. Ausus est *Albertinus* *Sectæ Calvinianæ Pseudo-Minister* asserere in libro, quem edidit, de *Sacramento Eucharistiæ*, *Anastasi* Monachum *Sinaitam* credidisse, *Eucharistiæ* esse meram figuram *Corporis Christi* virtutis ejus, & efficaciam plenam. At

Anastasium Monachum ab hoc errore vindicant *Petrus de Marca* Archiepiscopus Parisiensis in Epistola ad *Lucam Dacherium*, *Arnaldus* Doctor Sorbonicus lib. 7. tom. 1. de perpetuitate fidei *Catholice Ecclesie circa Eucharistiam* capit. 2. & *Natalis Alexander* in sexto Ecclesie sæculo cap. 13. ubi doctissimi illi Scriptores pluribus probant, Anastasium Sinaitam Monachum, realem Corporis Christi in Augustissimo Eucharistiae Sacramento præsentiam constanter docuisse, quamvis errore sibi proprio, & in explicandis hujus Mysterii circumstantiis lapsus, opinatus sit, Corpus Christi in Eucharistia esse corruptibile, & affectiones, quæ conveniunt accidentibus, puta frangi, dividi, dentibus conteri, stomacho digeri, alterari, & corrumpi, Corpori Domini convenire. Qua in re licet erraverit Anastasius Sinaita Monachus, numquam tamen deflexit a fide, qua semper, ubique, & ab omnibus creditum est, Corpus Christi esse realiter præsens in Eucharistiae Sacramento. Sed de Scripturibus Ecclesiasticis qui sextum sæculum doctrina, & pietate illustrarunt, hæc prælibasse, sufficiat.

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, Disciplina, & Morali
Christiana sexti Ecclesie
sæculi.

D. CUM Ecclesie Catholice veritas in Doctrina, Disciplina, & Morali potissimum splendescat, hoc unum duntaxat ad rerum, quæ ad Historiam sexti Ecclesie sæculi spectant, plenam notitiam desiderari videtur, ut de Doctrina, Disciplina, & Morali hujus sæculi breviter in isto Colloquio disseramus. Agedum, & ostendè primo, quænam fuerit Doctrina sexti Ecclesie sæculi.

M. Doctrina sexti sæculi eadem plane fuit, quæ nunc obtinet in Ecclesia Catholica, & quæ ab Apostolis profecta invariabili sæculorum serie ad nos usque, constanti, perpetuaque traditione propagata est. Profitentur omnes fideles sexti Ecclesie sæculi unam divinam Essentiam, & tres Personas contra Arianos, & Sabellianos; duas in Christo naturas, divinam scilicet, & humanam, contra Eutychianos; unam personam, seu divinam, contra Nestorianos. Circa hæc duo præcipua fidei Orthodoxæ dogmata nulla prorsus Catholicos inter sexti Ecclesie sæculi fuit controversia. Quapropter, jure merito observat doctissimus Cardinalis *Norisus* in Dissertatione Historica de uno ex Trinitate carne passo, contentionem illam, quæ sæculo sexto inter Catholicos exorta est, circa hanc propositionem: *Unus e Trinitate, carne passus est*, fuisse puram, putamque inter Catholicos Logomachiam, qualis olim fuerat de hac voce *Hypostasis* quæstio tanta opinionum discrepantia Latinam inter, & Græcam Ecclesiam agitata. Latina siquidem, ut jam observavimus in sexto Colloquio in Historiam quarti Ecclesie sæculi, tres personas, & unam Hypostasium in Sancta Trinitate esse, affirmabant;

ipsis enim Hypostasis idem erat ac substantia, natura, & essentia. Ex adverso Græci tres Hypostases in Sanctissima Triade admittendas esse, petendebant, quia Hypostasis apud illos idem erat ac persona. Magno certe animorum astu Latinos inter, & Græcos diu multumque disceptatum fuit, priusquam Latini, rematuro examine ponderata, nomen Hypostasis in eadem cum Græcis significatione reciperent, quamvis utriusque, idest, tam Latini, quam Græci, essent in re significata plane concordēs, nempe unam Essentiam esse divinam, tresque Personas, atque pro Catholico isto dogmate contra Hæreticos strenue depugnare utriusque palam gloriarentur. Huic igitur de significatione vocis *Hypostasis* contentioni, in quarto sæculo acerrime ventilata, persimilis fuit ista controversia Catholicos inter sexti sæculi enata circa hanc propositionem: *Unus e Trinitate carne passus est*, hanc quippe Monachi Scythæ cum quibusdam aliis Catholicis constanter propugnabant; alii vero Catholici eam Eutychianæ Hæreseos infimulabant, hincque tot clamoræ disputationes, & tot contra se factitatæ hinc inde accusationes. Hæc tamen pura erat quæstio de nomine, quia utraque litigantium pars in fidei dogmate consentiebat, duas in Christo naturas indivise adversus Eutychianos admittens, & unam in eodem Personam, contra Nestorianos adstruens. Crediderim ipse, huic controversiæ inter Catholicos sexti sæculi obortæ locum dedisse errorem facti in hoc positum, quod multi Catholici hanc Scytharum Monachorum propositionem: *Unus e Trinitate carne passus est*, a blasphemia *Petri Fullonis* Hæretici Eutychiani non differre, aut tarent. Hic enim Hæreticus Trisagio addiderat hæc verba: *Qui crucifixus es pro nobis*, cum quibus ista propositio: *Unus e Trinitate crucifixus est*, sensu convenire videbatur. Verum errore facti in hoc hallucinabantur illi Catholici; nam *Petrus Fullo* hæc verba: *Qui crucifixus es pro nobis*, Trisagio, quo Deus ter Sanctus proclamatur addiderat; ut ianueret, Filium Dei in substantia Deitatis, vel Trinitatem, toram passam esse. Duas siquidem in Christo naturas negabat impius ille Eutychianus. At Scythæ Monachi duas in Christo naturas inconsumas conceptis verbis profitebantur, & unum e Trinitate, scilicet Filium Dei, non in substantia Deitatis, sed carne passum ac crucifixum propugnabant. Suam, sociorumque suorum Scytharum Monachorum super hac re sententiam dilucide exponit *Maxentius* in Professione Fidei de Christo, eamque Sancti *Procli* Constantinopolitani Episcopi, cujus doctrinam recepit Synodus Chalcedonenis, auctoritate confirmat in Tomo ad Armenios, ut legere est apud *Natalem Alexandrum* in selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus sæculo VI. Dissertatione secunda. Mirum igitur non est, si *Joannes II.* Summus Pontifex, postquam accurate examinasset, hanc propositionem: *Unus e Trinitate carne passus est*, & Scytharum Monachorum doctrinam de duabus in Chri-

Christo naturis perspectam, exploratamque habuisset; tanquam Catholicam approbaverit, & *Acæmetas* Monachos, qui prædictam propositionem, seu Hæreticam, reprobabant, damnaverit; ut jam a nobis observatum est in superioribus Colloquiis. Nulla igitur in sexto sæculo dissensio aut controversia fuit inter Catholicos circa dogmata Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Verbi Divini, sed potius concors omnium doctrina, animorumque consensus.

D. Quænam fuit doctrina sexti sæculi circa alia fidei dogmata, quæ credenda proponit Ecclesia Catholica, & ab Hæreticis nostri temporis reprobantur?

M. Circa alia fidei dogmata, quæ credenda proponit Ecclesia Catholica, eadem prorsus fuit sæculi sexti doctrina ac nostra. Hæretici quippe velint nolint, fateri coguntur, Christianos sexti Ecclesie sæculi cultum detulisse Sanctis, eosque invocasse; Martyrum sepulchra, & Reliquias in maximo honore habuisse; Celibatum observatum, & Monasticum Institutum late in eo fuisse propagatum; Primatum Romani Pontificis micuisse, præsertim in persona *Agapeti* Papæ, qui ut in superiori Colloquio diximus, Constantinopoli degens, *Anthimum* Patriarcham Constantinopolitanum, cui impensius favebat *Theodora* Augusta, Sede Patriarchali propria sua auctoritate, nullogue coacto Concilio, dejecit, & in ejus locum *Menam* substituit. Præterea, & in ejus locum in Conciliis generalibus congregatam in definiendis rebus fidei infallibili pollere auctoritate Christiani sexti Ecclesie sæculi firmiter crederunt cum *S. Gregorio Magno*, qui eodem sæculo Pontificatum gessit, & in Epistola Synodica ad Patriarchas, quæ est XXV. lib. 1. testatur, se quatuor Concilia Œcumenica suscipere, & venerari, sicut Sancti Evangelii quatuor libros. Quintum pariter Concilium generale, in quo tria damnata sunt Capitula, se pariter venerari profiteretur idem Summus Pontifex, eique qui aliter sapit, anathema dicit, his verbis: *Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit, quisquis vero prædictarum Synodorum fidem tenet, pax ei sit a Deo Patre, &c.* Quapropter, quando Sanctus ille Pontifex mitius egit cum *Theodelinda* Longobardorum Regina, & cum nonnullis, qui Concilii quinti generalis auctoritati in damnatione trium Capitulorum damnatione obtemperare detestabantur, nec eos pro Schismaticis habuit, usus est Sanctissimus ille Pontifex prudenti quadam Œconomia, forte quod eos ignorantia laborare potius, quam prava voluntate noverat, cumque doceri non resugerent, sperabat futurum, ut tandem aliquando resipiscerent, maxime postquam illis fuisset ostensum, Synodo Chalcedonenâ nullum a quinta Synodo vulnus esse illatum, ut perperam sibi persuadebant. Sed prudentis Œconomie elapso tempore, cum pauci superessent trium Capitulorum defensores, summo jure cum illis egit *S. Gregorius*, nec prius ipsos ad communionem recepit, quam professi fuissent se quintam Synodum pari cum a-

liis quatuor Œcumenicis veneratione suscipere. Hanc supremam Ecclesie auctoritatem in Conciliis Œcumenicis adstruens Sanctus *Gregorius Magnus*, omnes contra Catholicam Fidem aut jam exortos errores, aut in postremum orituros, simul oppressit.

Sacrificia, Orationes, Vigiliæ, Eleemosynas, aliaque id genus pietatis officia, Defunctis admodum prodesse, eosque subsidiis istis vel levare, vel ex toto liberari, constans erat in VI. sæculo utriusque Ecclesie tam Orientalis, quam Occidentalis doctrina, perspicuis, invictisque omnium sæculorum testimoniis confirmata, sicut testatur *Eustratius* Scriptor sexti Ecclesie sæculi, Magnæ Ecclesie Constantinopolitanæ Presbyter, in libro, cui titulus est: *Refutatio eorum, qui dicunt, animas Corporibus suis solutas non operari, nec precibus sacrificisque, quæ pro iis offeruntur, adjuvari.* Quem librum *Leo Allatius* græce latineque edidit. Sanctus etiam *Gregorius M.* qui sexto sæculo universalem regebat Ecclesiam, pluribus in locis eandem doctrinam tradit, sed præcipue lib. 4. Dialogorum cap. 39. ubi interroganti discipulo: *An post mortem Purgatorius ignis sit?* Respondet Sanctus Doctor: *pro quibusdam levibus culpis tergendis esse ante Judicium purgatorium ignem.* Quod infra diserte probat. Et cap. 55. sic scribit: *Multorum solet animas etiam post mortem sacra oblatio hostiæ adjuvare; ita, ut hanc nonnumquam ipsæ defunctorum animæ expetere videantur.*

Confessionis, & Absolutionis Sacerdotalis necessitatem pluribus in locis probat idem *Gregorius*, maxime lib. 22. Moralium in Job num. 31. & Homilia 26. in Evangelia, ubi sub Schemate *Lazari* ex mortuis a Christo revocari, & ab ejus Apostolis soluti, explicat peccatoris per Confessionem peccatorum e sepulchro prodentis resurrectionem, & solutionem. Sic enim habet: *Lazaro ergo dicitur: Veni foras: ac si aperte culibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? foras jam per Confessionem egredere, qui apud te per negationem latet. Veniat itaque foras mortuus, idest, culpam confiteatur peccator. Venientem vero foras solvant discipuli, ut Pastores Ecclesie ei poenam debeant amovere, quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. Hec de solutionis ordine breviter dixerim, ut sub magno moderamine Pastores Ecclesie vel solvere studeant, vel ligare.*

Missarum solemnia in sexto sæculo fuisse celebrata, passim legimus in Operibus *S. Gregorii Magni*, præsertim in Homiliis in Evangelia, ex quibus facile colligitur, fideles hujus sæculi constanter credidisse, Missam esse verum, & proprie dictum Sacrificium, & in augustissimo Eucharistiae Sacramento vere, & realiter contineri Corpus, & Sanguinem Christi Domini. Quod etiam *S. Gregorius Magnus* cap. 58. lib. 4. Dialog. his perspicuis verbis confirmat: *Ejus quippe ibi corpus sumitur, ejus caro in populi salutem paritur, ejus sanguis non jam in manus infidelium, sed in ora fidelium funditur.* Refert quoque *Jo-*